

Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECT. SAX. HEREDE

DISSERTATIONEM SOLENNEM

DE

DYSENTERIA  
SVPERIORI SEMESTRI  
INFESTA

PRAESIDE

PRORECTORE MAGNIFICO

D. IO. GOTHOFREDO BERGERO

ARCHIATRO REGIO, COLLEG. MED. SENIORE  
ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI  
HONORES

P. P.

MARTINVS GOTTHELFF LOESCHERVS

CYGNEA MISNICVS

A. D. DEC. clb lccc IX.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

Coll. diss. A  
47, 40

147(40)

B. # #

130



REGII ET ELECTORALIS PROTOSYNEDRII  
DRESDENSIS

PRAESIDI

PERQVAM ILLVSTRI AC EMI-  
NENTISSIMO,

NEC NON

CONSILIARIIS

VTRIVSQUE ORDINIS SPLEN-  
DIDISSIMIS,

DOMINO SVO GRATIOSO,  
PATRONIS ET PROMOTORIBVS  
MAXIMIS,



DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM

DEVOTE ET SVBMISSE CONSECRAT

MARTINVS GOTTHELFF LOESCHERVS

CYGNEA MISN.



## DYSENTERIA

## SUPERIORIS SEMESTRIS

## DISSERTATIO SOLENNIS

## I.

**Q**Uod apud *Hippocratem Epidem. lib. 1. sect. 2.* relatum legimus, hyeme tota aqvilonia, nivosa, atque ad extremum magna, vere item frigido, aqvilonio, aqvofo, nubilo, neque æstate admodum fervente, hac, & autumnno obortas esse dysenterias, tenesmos & alvi profluvia ex biliosis, tenuibus, multis, crudis & mordacibus, quibusdam vero etiam aqvofo: idem hætenus ex simili prope temperie anni evenisse comperimus.

A 2

Nam



Nam hyeme quidem asperrima transpiratio solita per habitum corporis nimium impedita, introque ad ventriculum & intestina conversa, famem & vorandi desiderium acuit, neque uno adeo modo magnam cacochymiae vim & copiam in corpore cumulavit, & in alvum inprimis, quo bilis & succus pancreaticus, lymphaque multa ex tam multis arteriarum mesentericarum apicibus, five glandulis, & relictæ ex cibis faeces confluunt, paulatim congestit, quæ deinde colluvies humorum, laxato sævientis diu asperitate frigoris intestinorum tono, villis eorum ac plicis altius infixæ, primique veris calore aliquantum excitata, & mox consecuto adolescentis ac exeuntis eiusdem veris frigore, tum etiam æstate, calore & frigore variâ, acrioris ubertate biliosi serosique excrementi magis magisque cumulata & commota, ac potu aucta minus salubri, ista alvi profluvia & dysenterias concivit, quæ ab initio veris, per totam æstatem, & magnam autumnii partem, longe lateque, alibi quidem mitius, alibi gravius, in hominum vitam sævierunt.

II.



## II.

**H**oc ut evincam, notandum est, Dysenteriam, de qua hic breviter & strictim agere constitui, esse rheumatismum intestinorum, sive fluxionem alvi, qua ex abrasis, exesis & ulceratis intus intestinis cruor manat, isque modo cum stercore, denso & coacto, vel liquido, modo cum deiectione varia, mucosa, serosa, biliosa, porracea, faniosa, purulenta, spumante & flatulenta, ramentis item intestinorum villosis & membranaeis, ac demum etiam quibusdam quasi carunculis, hisque omnibus vel supernatans, vel guttatim tantum inhærens, vel totus veluti immerfus, ac purulenta permixtus illuvie, sæpe etiam purus & sincerus, & vel liquidus, vel concretus & grumosus, atque nunc modicus, modo plurimus, redditur. Incipiente quidem malo, alvus plerumque biliosa est, serosa, mucosaque, pluribus quibusdam, aliis paucioribus diebus: posthæc strigmenta villosa prodeunt, excrementis cruentis ac purulentis mista. Interdum vero mox principio mali, eo, quem dixi, modo una sanguis funditur. Multus non tantum in ventre, sed etiam in ano dolor, multaque ac frequens deiciendi cupid-

A 3

pidi-



piditas est, etsi sæpe nihil, præterquam exiguum aliquid mucosi, spumosi, ac subcruenti, aut purulenti & mordacis, emittatur. Atque eo quoque subinde tormentum sic intenditur, ac paulo post levatur, ut æger, & torminibus, & deiectionibus impeditus, sæpius quiete careat, atque a somno interpelletur. Quibusdam tamen mitiores ac fere nulli sunt dolores, quamvis stimulus fere assiduus, & crebrum sit desidendi desiderium: nonnullis etiam venter dies noctesque tam brevibus intervallis profluit, ut stimuli & surgendi molestiæ pertæsi, volentes stragula conspurcent. Quorum quidem subnigræ atræve, & fanie multa refertæ, ac pessimi fœtoris esse deiectiones solent. Plerumque nausea & fastidium cibi urget, atque anxietates, inquietudines, cardialgiæ, vomitiones, saltusque præcordiorum, & horrores quidam ingruunt, ac prolapsus ani fiunt. Multa præterea sitis crebro admodum affligit, cum ariditate lingvæ, & aliquando etiam cum interaneorum ardore. Raro quoque febricula abest, & febris interdum gravior oritur, atque exanthemata in cute varia nonnunquam excitantur. Inter has vero miserias facies livescit, ac venter, qui  
multis



multis antea infarctu tumebat, cum toto corpore vehementer morbo extenuatur, pulsusque concidit, & magna fit virium imbecillitas, subinde etiam tanta, ut æger, cum ob dolorum acerbicatem, & continuos egestionis labores, tum ob inappetentiam, vigiliamque assiduam, & fluxionem immodicam, ad animi defectiōnem usque debilitetur, ab ipsaque discedat mente ac deliret, & alia aliis symptomata succedant.

### III.

**N**ulli hæc fluxio ætati, sexuique nulli parcat, sed pusiones æque ac pueros, nec minus adultos, quam senes, viros pariter ac feminas invadit: & nunc sparsim privatimque alium atque alium saltem corripit, modo in castris, itemque in una, aut pluribus regionibus in populum grassatur. Non uno tamen modo, nec pari omnes impetu ac sævitie, aggreditur, neque etiam cum popularis est, eodem ubique periculo sævit. Quod hoc quidem anno videre licuit, quo alibi mitis admodum, sine febris & gravioribus aliis symptomatibus, alibi quibusdam tantum, ob vitium privatum, exitiosa, plerisque



risque levior fuit, alibi vero longe atrocius, nec sine nota malignitatis & contagii, plures infestavit.

#### IV.

**C**ausis id genus mali variis oritur, interioribus, & externis, facibus nimirum diu retentis, & cruditatibus succisque acribus, in intestinis genitis, vel eo transmissis, frigore pariter æstive, & aliis temporis tempestatumque mutationibus magnis, cibus porro acrioribus, frigidis, ac frugibus præsertim crudis, immaturis, fugacibus, & rubigine uredineque, ut meminit *Plinius Histor. Nat. Lib. XII X. c. 1. & 28.* corruptis, potu item egelido & facibus non purgato, medicamentis demum, venenis, & contagio, & quæ sunt aliæ, stimulo & fermento, modisve aliis nocentes causæ, quibus tonus intestinorum perverti, atque acrimonia quædam, abradens intus intestina & erodens, vel gigni, vel recipi potest. At differunt in eo potissimum hæ omnes causæ, quod vel sua uniuscuiusque culpa & apparatu morbofo succrescant, aut errorem consequantur externum, vel a communi non solum victus, inprimisque frugum, sed



fed etiam aeris, vitio procedant, nec raro eam  
intestinorum corruptionem & putredinem in-  
ferant, ut inde oriens profluvium, contactu ali-  
oꝝ immundo foedet, & contagio mali, ab uno  
profecta, manet latius, ac plures inficiat.

## V.

**I**llam quidem Dysenteriam, quæ hucusque epi-  
demice grassata est, non uno argumento li-  
qvet, nequaquam frugum, quæ quippe fuerunt  
nullæ, cum malum hoc inchoaret, sed aeris,  
vitio originem debere. Quo tamen loco non  
est, ut cum *Cl. Peyero, Exerc. Anat. Med. de*  
*Gland. intest. P. 2. c. 9.* miasma vel inquinamen-  
tum aliquod morbosum, quod arsenici naturam  
referat, cum spiritu intro subiens, ex aere ad-  
vocemus, vel ab occulto quodam cœlestium  
influxu corporum causam repetamus, qualem  
*Fernelius de abd. rer. caus. lib. II. c. 13.* illi dy-  
senteria assignandam duxit, quæ anno ~~1583~~ <sup>1538</sup> per  
universam Europam tanta ferocitate sæviit, ut  
vix ulla civitas immunis permanferit. Nam uti  
efficiendis morbis aliis, sic gignendæ dysente-  
ria, vel sola intemperies aeris sufficere potest.  
In quam sententiam *Hippocrates*, experientia &  
B sua

f. p. m. 504

1538



sua & antecessorum edoctus, passim in *libris de aere, aq. & loc.* itemque *Epidem.* ex tempestatum varietatibus, cœlique mutationibus insolitis, si aliquando diutius persistant, aut nimium excedant, dysenterias oriri docuit, ac speciatim *sect. 3. Aph. II. 12. & 16.* inter anni tempora, si vel hyems sicca & aqvilonia, ver autem pluvium & austrinum, vel hyems austrina & pluviosa, ver autem ficcum & aquilonium fuerit, in æstate eadem alvi profluvia oboriri, & per ficcitates quoque fieri, notavit. *Jacobus* autem *Bontius lib. II. Hist. Nat. & Med. Indiae or. cap. 3.* magnam partem ob aerem calidum & humidum, fluxum hunc Indis tam gravem & fere endemium esse putat. Haud aliter *Guil. Piso lib. II. Hist. Nat. c. 12.* in India occidentali, inprimis vero in Brasilia, nimium familiarem esse dysenteriam refert, & causas potissimum in sudores coniicit, vi frigoris nocturni, ac venti mediterranei subito admissi, retroactos, tum fructuum fugacium & fœculenti potus usum immoderatum, accedente aere calido & humido. Ac *Sennertus* noster, *Pract. lib. 3. part. 2. sect. 2. cap. 7.* memorat, post tantam aeris verni caliditatem & ficcitatem, quantam vix ullus ho-

17 p. m. 171. 174. 180.

r. p. m. 64.



hominum hic meminerit, cum post ultimam nivem, quæ circa festum Paschatos delapsa est, per menses fere tres subsequentes, exigua, imo fere nulla, pluvia decideret, sed perpetuus æstus, qualis sæpe vix est in canicularibus, in hisce regionibus vigeret, anno 1624. populariter in multis locis dysenteriam sæviisse.

## VI.

**N**eqve vero dubito, quin ea, quæ vere proxime præterito cœpta, & per totam æstatem, magnamque autumnii partem, Germaniam pervagata est, dysenteria, insolito antecedentis hyemis ac veris frigori ideo iure tribuatur, quod, ob diminutam transpirationem consuetam, cumulati in vasis succi, & solito uberius per feri bilisque vias in alvum iam amandati partim, ibique congesti, & coacervati, partim vero continue alluentes, aptam gignendis fluxibus alvi atque dysenteriis materiam præbuerint. Id, opinor, clare patet, ob copiam perspirabilis retenti, cumulari in vasis humores, & confluentes eorum alluviones, impetu quodam, paulatim aucto, in emunctoria corporis varia, ac præsertim intestina, tanquam in alveum, ad  
 B 2 repur-



repurgationem extrudi, nec solum delatam ex sanguine ad intestina, & in his quotidie succrescentem, longoque intervallo collectam, & morantem diutius, humiditatem, in mucum quandam coherentem, sive pituitam, concrefcere, eamque firmitus iis intus adhærescentem & impactam, deductum chyli, bilis, & fæcum impedire, eaque accessione indies auctam, varie corrumpi & putrescere, sed etiam circumfluos in vasis humores sensim lentorem, salsuginem, acrimoniamque contrahere, atque in transitu partibus, per quas huiusmodi corporis sentina exhauritur, quibusque adhæret & affigitur, vim inferre, nunc minorem, modo maiorem, pro indole humoris, & partium transmittentium ac recipientium robore & vigore. Ex quo fonte nemini obscurum esse potest, alvos fluidas, tenesmos, dysenterias, strangurias, ardores urinæ, gravedinesque renum, ac fluxiones sæpe alias proficisci, ut supra dicto *libro 1. Epid. sect. 2. Hippocrates* egregie ostendit.

## VII.

**N**on sine ratione *Sanctorius a Sanctorio de Med. Stat. aph. 42. sect. u.* autumnum in-  
salu-



salubrem censet, tum quia perspiratio a super-  
veniente frigore prohiberi solet, tum quia,  
quod difflari prohibetur, acre fit & mordax.  
Ideoque autumnus vulgo parens & effector  
pravorum & acrium humorum esse dicitur.  
Neque aliam ob causam *Hippocrates Aph. 22. sect.*

3. suos autumnu morbos assignandos, inque eos

dysenterias referendas putavit. Nam etsi, ut

idem habet *Medicorum Princeps loc. cit. Aph. 19.*

morbi quilibet in quibusvis temporibus fieri pos-

sunt: nonnulli tamen in quibusdam magis tum

fiunt, tum exacerbantur; idque propter mu-

tationes aeris, & hinc orientes perspirationes

corporis per quatuor anni partes varias. Ac

quanta quidem copia autumnu hyemeque in-

clementioribus minui transpiratio, atque au-

geri colluvies humorum possit, plane & dilu-

cide constabit, si reputemus, id quod modo

laudatus *Sanctorius l. c. aph. 4.* indicavit, ab

æquinoctio autumnali ad solstitium hybernum

quolibet die minus libram circiter perspira-

tione emitti, inde vero usque ad æquinoctium

vernale liberiores iterum perspirationem fi-

eri. Quapropter iis præcipue, qui pondus

corporis insolitum sentiunt, insalubris autu-

mnus,

B 3

p. m. 193

p. m. 186



mnus, eaqve tempestate maxime commoda esse purgatio solet, ut ex eodem fundamento idem *Sanctorius aph. 45.* docuit: *Pondus insolitum non vere, sed autumno auferendum, frigidum enim, superveniens ponderi, magis nocet.* Quorsum etiam *aph. seq. 46.* pertinet: *Nulla autumno vexaberis ægritudine, si superveniens frigus inveniet te vestibis recte munitum, si uteris diureticis, & conservaberis in eodem pondere, ut antea.*

### IIX.

**E**x quibus intelligamus licet, eandem esse vim & effectum veris, si mutet naturam suam, & frigore insolito in adversam autumnii faciem vertatur. Est quidem alioquin ea veris, si ordinem naturæ servet, indoles, ut calore blando refoveat cuncta ac reficiat, & motum ac pressionem sanguinis, atque perspirationem corporis universi, & secretiones derivationesque succorum omnes exsuscitet & instauret. Quo certe modo ea anni tempestas merito saluberrima habetur, quod, quicquid hyberno frigore additum est corpori, paulatim adimat, eoqve non multorum saltem semina morborum

rum



rum tepore suo caloreque, sumtis paulatim viribus, disiiciat & expellat, sed etiam morbis, iam ante natis & existentibus, corpora liberet. Qui vero morbi eo modo vere proferuntur, hi per accidens eveniunt, vitio potissimum hominum & locorum, ac sæpe salutares esse & corpori & animo solent, nec ita difficulter superantur, quam qui aliis temporibus oboriuntur, ut speciatim de febribus Sect. 3. alios inter Sydenhamius demonstravit. Sed alia est ratio veris, si a temperie sua naturali declinet, & inter varias mutationes alias, frigore v. c. insolito autumno simile fiat. Tum enim in promptu est colligere, vere tali morbos oboriri, autumnæ naturæ magis, quam veris convenientes, debere. Id quod omnino ex huius constitutione anni apparuit, quo post hyemem gravissimam, primum ver insolito calore vix cœperat, cum totum deinde frigore plusquam autumnali molestum esset, ac fere hyemaret: quæ profecto mutatio aeris plane contra naturam veris, & gignendis profluviis alvi & dysenteriis hoc magis idonea erat, quod etiam ver frigidum excipiens æstas, calore frigoreque multum variabat, & variantem adeo perspirationem corporis pariter reddebat. IX.

p. m. 108



## IX.

**H**is addendum est, quod frigus etiam famem acuat, eoque propter ingluviem cruditates & faeces accumularet, ac praeterea tonum tandem ventriculi & intestinorum evertat & exsolvat. In frigoribus magnis & famem excitari & tormina colica, tam notum est, quam quod maxime, & multi praeterita hyeme sunt experti. Quorum illud etiam *Plutarchus lib. 5. in Sympos.* meminit, cum iis, scribit, qui hyeme per nivem altam iter longum faciunt, accidere bulimum cum leipothymia. Idem de fame canina apud *Forestum lib. 18. obs. 5. in schol.* annotatum reperimus. Eorum vero quibusdam, qui doloribus ventris, hyberno excitatis frigore, obierunt, *Rob. Boyle in Hist. Frig.* memorat, abdomine post mortem aperto, intestina livida, & glutinosa faecie sibi invicem adhærentia, inventa fuisse, quod gangraena, a frigore inducta, fiderata erant & putrefacta. Quippe frigus aeris non solum vim suam per ambitum corporis ad interiora defert, sed etiam per os in ventriculum ac intestina penetrat, & tonum villorum motricium ac vasorum & glandularum,



atque habitudinem pororum, & motum ac indolem succorum ita vitiat, ut minus sit mirandum, si copiosa horum confusaque in intestinis secretio fiat, quæ postea, accedente præsertim humiditatum collectarum, vel alluentium, imprimisque affluentis bilis, stimulo, excretioni materiam suppeditat. Quantam enim uberior bilis collectio vim in intestinis promat, si minus aliunde constaret, celebri illo *Schuylii* experimento patet, quo, si, secto canis vivi abdomine, intestinum duodenum filo uno haud procul a pyloro, alterove paulo infra insertionem ductus pancreatici, ligetur, & confuto deinde ventre, animal sibi relinqvatur, tribusque post horis vulnus illud iterum aperiatur, non interceptum tantum vinculis spatium, ad rupturam usque distentum, sed etiam vesicula fellea admodum dilatata, reperietur, cum urente quodam calore, ligatum illud tumensque duodeni spatium occupante. Facta autem tumoris incisione, flatus spumantesque bullæ cum strepitu & sonitu prorumpent, ac vehementi quodam acrive fœtore nares vellicabunt. Atque ea quidem, quæ, dixi, frigus patrare in ventriculo ac intestinis, hoc facilius apparet fieri, quo maior

C

vis



vis frigoris, non solum cum aere, sed etiam cum assumtis, introfertur.

## X.

**A**d hæc demum accedit vitium potus, qui si-  
ve aqua fuerit, ex nivibus & glacie solutis,  
sive cerevisia, ex similibus aquis, ferociente ad-  
huc frigore, cocta, magnum ad excitandos  
alvi fluxus momentum afferre potuit. *Hippo-  
crates Lib. de aer. aqu. & loc.* aquas omnes,  
quæ ex nive & glacie fiunt, pravas esse, ait, nec,  
ubi semel concreverint, amplius ad pristinam  
naturam redire. Et aph. 24. sect. 5. tussim move-  
re, notat, & profluvia sanguinis ac destillatio-  
nes excitare. Propterea ex *Aristotele*, qui, se-  
cutus Hippocratem, id, quod tenue & dulce  
est, in aquis congelatis evanescere, opinatur,  
*Peripateticus* quidam *apud Gellium l. 19. c. 5.* ami-  
cos ab aquæ nivalis & glacialis usu dehortatur.  
Sed plurimum damni, existimarim, provenire  
a rigore partium, quem aquæ, congelatione na-  
ctæ, & solutæ ex nivibus vel glacie, non omnino  
ilico omnem deponere, sed diu servare solent,  
unde robur ac tonus intestinorum mirum quan-  
tum perverti ac labefactari, eorumque succi fa-  
cile

p. 352.



cile corrumpi possunt. Quare sicut alioqvi cerevisia Martia, sive mense Martio cocta, merito optima censetur, & præ ceteris ferre ætatem potest, ubi moderato eius mensis calore adiuta, convenienti fermentatione defæcatur: ita e contrario, ubi eodem mense gelu adhuc rigidum habemus, & præsertim, ob antecedentis rigorem hyemis, aqua nivalis vel glacialis adhibetur, minus salubris evadere & censeripotest. Quemadmodum crebro admodum ii experiuntur, qui quovis brumali etiam tempore, aut quando magnum est frigus, non nisi ad quorundam subsidium dierum cerealem hunc liquorem comparare solent. Præterquam enim, quod ex tempestate frigidiore nix atque glacies, aquæ innatans, eius salubritatem turbare soleat, eadem quoque fermentatio impeditur, quæ nisi cerevisiæ contingat, fæculenta ea, multisque modis vitiosa, existit. *Quæcunque noxæ, inquit, Schookius de Cervis. cap. 24. in aqua nivali & glaciali notari solent, eadem produnt sese in cervisia, maxime tenuiori, ex aqua eiusmodi præparata: præsertim si frigore hæc nimio conglacietur denuo, vel non satis diu percoqvatur. Nam recte Plinius Nat. Histor.*



l. 31. c. 3. vitiosæ, ait, aquæ remedium est, si decoquatur ad partes dimidias. Idem Galenus lib. 6. Epid. & Alex. Aphrodisæus in Quæst. Nat. existimarunt.

## XI.

**H**æ mihi causæ sufficere videntur gignendis fluxibus alvi & dysenteriis, quæ huc usque Germaniam vexarunt, ac imprimis inopes affligerunt, & quibus subsidium corpus a frigore defendendi, & cibus potusque incorruptus & salubris defuit, aut quibus quædam ventriculi & intestinorum, eaque vel nativa, vel ascititia, debilitas, atque a congestis ex ingluvie, causisque aliis, cruditatibus & fæcibus, mali semen iam affuit. Nam raro commemoratæ dysenteriarum causæ simplices & solæ existunt, sed plerumque plures coniunguntur, & vis unius alterius insultu adiuvatur & invalescit. Quæ quidem causa est, quod, grassante alicubi dysenteria, non omnes homines peræque afficiantur, hocque anno potissimum vulgus, & qui vel minus provide vixerunt, vel iam ante cruditates multas coacervarunt, neque purgati factis autumnis, aut vere, fuerunt, in eandem incide-



ciderint. Hoc manifesto eorum testimonio constitit, qui, priusquam eo fluxu corripentur, diu ante de lassitudine corporis, ac tumido praesertim gravique ventre, ac saepe molestis quibusdam in eo motibus, conqvesti fuerunt. Ita iam olim a Caelio Aureliano observatum legimus, cum dysenteriam fieri, ait, antecedente diarrhaea, aut cholera, aut tumore ventris, lib. 4. Morb. Chron. cap. 6. Idem apud Fernelium notatum occurrit, Patbol. l. VI. c. 10. Patet etiam causa, quamobrem hoc anno non eodem ubique modo malum saevierit, quod non eodem ubique rigore frigus, nec ubivis eadem se ab eodem defendendi inopia, neque eadem potus materia, vivendique ratio, ac dispositio corporum fuit: quibus causis variare diversis locis haec profluvia potuisse, cuius in proclivi est iudicare. Illud quoque intelligitur, sicubi multos eodem loco dysenteria invaserit, ibi exortum & invalescens contagium ad profeminandum per traducem malum permultum contulisse.

f. p. m. 524

f. p. m. 107

## XII.

**E**t si vero variarum praegressione & concursione causarum, alii praeter aliis in hanc, de qua  
 C 3  
 agi-



agimus, dysenteriam hoc anno inciderunt: tamen unam omnibus communem eius mali causam antegressæ frigus hyemis, & hanc consequentis veris anomalam, atque æstatem ipsam, calore frigoreque variam, fuisse, minime iam dubium videri potest. Siquidem ex superioribus constat, vi frigoris hyberni, in primis præcipue viis magnam humorum serosorum, viscidorum, ac biliosorum, & cruditatum sæcumque, copiam coacervari, eamque primi veris calore in quibusdam agitari & solvi, in aliis mox superveniente, diuque sæviente, novo frigore, diutius inhærere, figique altius, nec modo novis quotidie accessionibus ex sanguine partim, per bilis succique pancreatici vias, & glandulas intestinorum, partim ex cibo potuque, augeri, sed etiam mora, & mixtione motuque corrumpi, exacui & incitari, ac tonum præterea intestinorum, præsertimque glandularum, laxari & exsolvi, ac villos vasaque rodi & radi, eoque varia alvi profluvia, non solum vere, sed etiam per æstatem cieri potuisse. Namque id languentibus, extenuatis & resolutis organis quibusque excernentibus usu venire solet, ut, si simul adfuerit copia humorum, & causa, ut-

-ige  
80  
cun-



cunqve leniter stimulanſ, in iisdem quædam ſuccorum ſeqvatur incontinentia, & confeqventer ſecretio larga & confuſa, eaqve, pro humoris ſecernendi & irritantiſ genio, modo maior, modo minor, & cum, vel ſine cruore. Hoc modo ex laxiore cutiſ habitu, & dilatatiſ glandularum miliarium poris, corpus ſudore diffluit: ex ſoluto renum & uteri tono diabetes & fluor albus oritur, atqve ex laxatiſ vaſculiſ ſpermaticis involuntarium ſeminiſ profluvium naſcitur. Quorum hoc oculiſ cernere licuit *Veſalio* in cadavere cuiuſdam, qui, ut ille ſcribit *de Hum. Corp. Fabr. lib. IV. cap. 13*, ante obitum fluxu illo laboranſ, hoſ meatuſ omneſ poſt mortem apertuſ laxoſqve habuit, eoſ potiſſimum, qui ex teſtibuſ in deferentiſ ſemen vaſiſ revolutioneſ pertingunt, & quibuſ dextrum & ſiniſtrum deferentia ſemen vaſa in veſicæ cervicem terminantur.

### XIII.

**H**aud aliter, ubi laxior eſt compageſ glandularum in inteſtiniſ, quam ut appulſorum preſſioni ſuccorum reſiſtere fatiſ poſſit, exolutiſ viribuſ fit incontinenſ, & quaſi rimarum ple-

ple-



plena, hac illac perfluit, & hoc uberiores illorum copiam dimittit, quo maior stimulus & rosis intestinorum, qua motus horum augetur, coniungitur. Quodsi collectæ in fistula intestinorum sordes, & qui eo convehuntur, succi ferosi & biliosi, sine magno morfu citoque intestina pertranseant, neque omnem intus obliuentem lentorem detergant, alvus saltem liquida, serosa, biliosaque, vel diarrhæa quædam oritur. Sin partim coacervata in iis, firmissimeque lateribus eorum impacta, & defixa altius, partim ex hepate & glandulis affluens, biliosa & serosa colluvies, acie sua corrodat intestina & abradat, sanguisque ipse, vel acrior & incitator, vel in circulo suo turbatus, aucto pressioni & impetus momento, debilitatam laxatorum & arteriosorum vasculorum resistantiam constanter urgeat, una cum sero & bile, ac humoribus aliis, cruor manat, atque dysenteria excitatur. Ac primo quidem impetu cum humor eiusmodi acer & mordax, irritando corrodoque, in tunicas intestinorum sævire incipit, motu hæc fibrarum suarum irrequieto & impetuoso misere torquentur & convelluntur, quo & tormina fiunt, & cavo intestinorum contenti, eoque conflu-

flu-



fluentes, & expressi ex glandulis & ductibus suis, succi serosi biliosique, cum fecibus & quavisque aliis propelluntur, unaque lentor & mucus, lateribus intestinorum tenaciter inhærens, violenter detergitur & excutitur, quo proinde primum arrosa, ac deinde nudata, crusta villosa, punctis stillat sanguineis, haud fere aliter, ac cutis, derasa cuticula, solet. Erosa penitus crusta, & avulsa, connexa ei tunica nervea arroditur, quæ cum & fibris nerveis, & multo maiore, quam omnes ceteræ intestinorum tunicae, arteriarum & venarum copia, & extremis illarum succosis, sive glandulis, abundet, magnam feri, cruoris & saniei copiam fundit, & dolores plerumque acerbos, tantosque subinde cruciatus parit, ut quiescere hominem, somnumque capere, haud finant. Hinc vero cum altius penetrante ac depascente ulcere tunica ipsa musculoſa, duplici fibrarum, annularium & longitudinalium, ordine constans, arroditur & exeditur. Abraduntur enim primum intestina, deinde exeduntur, postremo exulcerantur.

## XIV.

Vnde pro varia erosione & ulceris intestino-  
 D rum



rum magnitudine , varia sanguinis effusio, cum mucilagine & variis intestinorum ramentis, & demum pelliculis variis atque carunculis consequitur, & visu, patet, videre *Galenus*, 5. de loc. aff. qui primum dysenteriae gradum excretionis pinguedinis cognosci volunt, quum solum mucus, quidam & lentor, quem exspuunt glandulae, nulla vero pinguedo emittatur, sed haec intra propriam colligatur tunicam cellulosam, quam, sub extima sitam, primus ostendit *Ruyschius*. Pro vario eiusdem erosionis gradu, etiam frequens, nec raro assidua fere, at saepe inanis, egerendi cupiditas, & dolor in ano urget, cum vel ulcus ipso in intestino directo consistit, aut mucus saltem viscidus, tenax, acer, cruentus & purulentus, non tantum illis intestinorum partibus, a quibus emanat, sed etiam iis, per quas traducitur & exit, molestus est, & cum crassitie sua per iuga & anfractus intestinorum pigro transmittit gressu, atque hic illic haeret & moratur, tum coniuncta acrimonia abradit intus & corrodit, ac morfu suo vellicando atque cruentando intestinum illud rectum, ad excernendum instigat idem & proritat, sed conatu saepe inani, reluctante eo, qui humori inest, lentore. Quod si,

fi,



si, ob compressa & angustata, vel corrosa vasa, & commota vehementer intestina, aut coagulatos, & corruptos, ac hærentes succos, sanguis, in suo per vasa minima circuitu impeditus, aucta a tergo pressione, exardescat, inflammatio & cruciatus gravissimus, cum quodam ardoris sensu, exoritur. Et, si vi inflammationis, vel stimuli & doloris, pulsus cordis ingeminetur, etiam febris ingruit. Neque mirum est, si vel febris, vel dolore, vigiliaque assidua, æstus quidam in cerebro & delirium accedat, aut idem, vi exinanitionis, & hinc orientis minoris succi nervosi minus vividi, minusve cohærentis, secretionis & motus, ingruat, atque abeunte ad gangrænam ulcere, dolor quidem subito cesset, sed cadaverosi plenæ foetoris, atræve deiectiones fiant, & alia aliis symptomata succedant, ac inter ea tot laboribus & doloribus, & tam crebris cruentisque deiectionibus, vigiliis etiam & inedia, confectus æger, in præsens vitæ periculum coniiciatur.

## XV.

**D**e signis, sedem mali indicantibus, utrum intestina angustiora, sive tenuia, vel amplio-

D 2

ra



ra five crassa, aut utraqve obsideat, non attinet hic multa dicere: quæ quidem vulgo a situ & specie doloris, itemqve a tempore ac modo excretionis, & contentis variis, varieqve mixtis, sumi solent. At qui ex situ doloris cognosci volunt, prout is supra vel infra umbilicum tenet, ita aut tenuia, aut crassa intestina laborare, hi minus perpendunt, vagos admodum in eo malo dolores esse, & intestinum ileum infra umbilicum fere totum abscondi, colon vero ex dextro ileo, ad humiliorem renis dextri sedem, ad cavum hepatis sursum contendere, & inde flexum, via transversa, sub fundo ventriculi ad hypochondrium finistrum, cuius magnam partem occupat, ferri, & membranis tenuissimis superius lieni, inferius reni sinistro, commissum, post anfractus quosdam leviter inflexos, supra renem illum, per ilium ad inguen eius lateris descendere, inde vero rursus eodem latere quasi ad umbilici sedem ascendere, & literæ instar S inversæ flexum, ad ossis sacri initium recta deorsum tendere. Ex quibus fallax esse indicium, ex situ doloris sumtum, constare potest. Eadem est ratio speciei & gradus dolorum, quos quippe in intestinis tam crassis, quam

quam



quam tenuibus, gravissimos esse posse, ex eo patet, quod non minus vulgus, quam medici, vehementissimos intestinorum dolores ad colon referre, & colicos vocare soleant. Nec vero, quæ de tempore ac modo excretionis, & contentis variis, varieque mixtis, vulgo dicuntur, certi quid indicant, cum subita e longinquis, ut fieri in lenteria solet, & tardior e propinquis intestinorum partibus, si firmitus impacta hærensque materia non facile abscedat & excutiat, excretio fieri possit. Neque adeo multum refert, sollicitè definiri sedem mali, cum minus intersit curationis, ac vulgo persuasum est.

## XVI.

**Q**uod ad Prognosin attinet, vere quidem Celsus dixit, de Medicina l. IV. c. 19. uno die fluere alvum sæpe pro valetudine esse; atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id conquiescat. Purgari enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effundi. Verum, recte is addit, spatium periculosum esse, quod interdum tormina ac febriculas excitet, viresque consumat. Quo magis apparet ipsa tormina, sive dysenteriam, a ma-

p. m. 229

D 3

gno



gno periculo nunquam abesse, quia organa afficit, conficiendo tribuendoque alimento necessaria, & facile in gangrænam & sphacelum, nullis cedentem remediis, transit. Est tamen dysenteria alia aliis periculosior. Nam, quæ modo incipit, & adhuc fit, dysenteria, quia tunicam tantum villosam arrodit, salvis ceteris, facilius curatur, quam quæ iam facta est & confirmata. In hac enim ulcus, iam conceptum, serpit altius, & profundius penetrans, tunicas reliquas depascitur. Minus quoque periculosa existit, in qua excretio fit rarior & febris abest. Quæ vero dysenteria inter febres hominem, viribus exhaustum, quiescere in cubili non sinunt, & cum fastidio ciborum, magnaque siti, & immanibus torminibus, ardoreque interiorum, vel etiam cessantibus subito doloribus, & cum deliriis affligunt: hæ omnes pessimæ sunt, maximeque, si inter hæc, extenuato iam corpore, alvus subito nigra, odorisque pessimi & cadaverosi, assidue profluat, aut sanguis purus, ramentaque crassiora, & pelliculæ, ac veluti carunculæ, emittantur, ac frigus demum accedat extremorum. Et sane quo quis horum plura malorum habuerit, hoc certius is & citius



citius peribit. Cui vero paucissima talium affu-  
erint, huic plurima spes est. Ex iis enim gra-  
dus & magnitudinem moremque ulceris, &  
præsentem, vel accedentem inflammationem,  
atque gangrænam & cancrum intestinorum in-  
telligimus. Quorsum proinde spectant, quæ  
*sect. IV. aph. 24. 26. & sect. VI. aph. 32* itemque  
*VI. Epidem. com. 7. t. 12. & l. 2. Prædict. Hippo-  
crates* consignavit. Sed genium huius minus  
spirant, quæ Romanus ille Hippocrates, ut vi-  
detur nonnullis, *Baglivus*, ex *VValdschmidio*  
& aliis collegit, *Pr. med. lib. 1. p. 73. & 74.* Si sin-  
gultus accedat, lethale. Si afficiatur ieiunum  
intestinum, lethale est, iecori namque vicinum  
est. Si in dysenteria adhibueris opiata, & altero  
mane color oculorum ægri est mutatus, certe non  
superabit morbum: Si vero color oculorum im-  
mutatus remaneat, indicio est ægrotum posse  
reconvalescere. Illud potius scire refert, ma-  
lum hoc nunc celeriter moveri, & si febris in-  
graveſcat, intra quatuordecim dies sæpe neca-  
re, modo in plures, atque ad quadragesimum,  
& ultra, produci, longoque tempore, cum in-  
veteraverit, aut tollere hominem, aut etiam si  
finitur, excruciare, ut habet *Celsus l. IV. cap. 15.*

*p. m. 236. 239*  
*p. m. 417*

*p. m. 224*

ac



*r.p.m. 170*  
*25. 2. 170*  
*119. 170*  
 ac sæpe in hydropem & lenteriam, ut advertit *Hippocrates sect. VII aph. 82* nec raro in cœliacam & tabem insanabilem mutari. Quorum quidem hoc, ob relictas a magnis intestinorum ulceribus magnas cicatrices, quibus pori venarum lactearum coalescunt & obliterantur, fieri solet, ut non semel se observasse scribit *Franciscus de le boe Sylvius, Pr. l. l. c. 16.* Idem in *Biblioth. Anat. P. I. p. 126.* notatum legimus in iuvene, qui dysenteria, eaque longa, & molestissima, afflictus, morbo tandem superato, in alium incidebat, chylosum scilicet fluxum, qui per biennium duravit cum marasmo, eoque sub finem vitæ langvore, ut vix extremos movere digitos posset. Aperto cadavere, & lustratis intestinis, multis hæc intus locis quasi callosa apparuerunt.

## XVII.

**E**x his iam clarum est, medendi indicationes a colluvie humorum erodentium, in intestinis coacervatorum, eoque confluentium, defumendas, & ita dirigendas esse, ut rodens & radens, fluxumque concitans materia, ceu radix mali, partim mature ac sine detrimento detraha-



trahatur, partim divertatur, ac temperetur, & tonus, ac robur motusque intestinorum erigatur ac confirmetur, & vires corporis conserventur, atque urgentibus quibusque symptomatis sollicitè provideatur. Ac primo quidem ipsa suadet ratio, quod iam pridem usus docuit, non protinus initio mali adstringendi consilium ineundum esse, priusquam materia noxia, qua illud nascitur & fovetur, satis sit remota, ne, coercitis intus sordibus, suppressum intempestive malum, diutius producat, & aetis altius radicibus, serpat latius & ingravescat, atque inflammationem & febrim, vel excitet, vel augeat, & quod *Hippocrates* notavit *Coac. Prænot. sect. II*, & *lib. de vict. rat. in acut.* abscessus in costis, aut visceribus, aut articulis, vel alibi corporis, inducat, vel, ut commemorat *Galenus, lib. de venæ sect. adu. Erasistr.* insaniam, malaque alia, & quod *Hollerius* in *schol. p. 353.* observavit, epilepsiam, pleuritidem, & ut *Martini de morb. mes.* testatur, inflammationes & abscessus mesenterii, ac plura graviora incommoda, mortemque ipsam acceleret, ut multis ostendi exemplis posse scribit *Crato, Consil. XXII. l. 5.* Quo magis miror, *Leonb. Fuchsi*um, dum

E

recen-

5130



recensendis aliorum erratis tam diligenter incumbit, in eum incidisse errorem, ut dysenteriae curationem adstringentibus tantum medicamentis apud Hippocratem & Galenum absolvi contenderit, *lib. 2. cap. 13. Paradoxorum.* Nam, ut taceam, aperte contrarium iis ostendi locis, quæ modo ex utroque sunt adducta, *Galenus lib. 1. de simpl. med. facult. c. 36.* false ridet opinionem Herodoti & Dioscoridis, quod quovis tempore dysentericis adstringentia ex usu esse, & nil, nisi adstringentia, dari, aut subiici debere, arbitrentur. Hoc autem magis mentem subit admiratio, *Cl. Barthol. Moorium in Orat. de hypothef. med.* hanc medendi rationem, quæ ab expurgatione noxiorum humorum exordium sumit, in profluviis alvi prorsus improbare, quo minus causam reperio, ut eidem assentiri possim. Nam uti facile largior, *humores*, ut ipse ait, *in alvi fluxu vehementi excretos, non fuisse omnes simul intestinorum cavitate conclusos, sed continuo propelli, continuo secerni:* sic negari nequit, eos, qui iam iam coacervati intestinibus continentur, humores, profluvia illa eo, quem dixi, modo excitare & fovere, ac, nisi tempestive removeantur, diu morbum producere,



cere, atque ex diarrhæa efficere dysenteriam in eaque exulcerationem & corruptionem intestinorum augere posse & solere, quod non solum impacti intestinis humores, sed etiam lento pede per eadem progredientes, lentore suo & tenacitate in mediis sæpe viis hæreant ac remorentur, suaque acie rodant easdem & radant, atque exulcerent. Hæc intuens Fernelius, in dysenteria purgans convenire medicamentum ait, Therap. univ. lib. 2. c. 11, ut, quod sensim & langvide per anfractus parum idoneos elabatur, affatim derivetur & defluat. Eodem respiciens *Ballonius, Consil. med. 23. l. 2*, æthiopem lavare putat, qui in dysenteria a magna cacochymia prius de adstrictione, quam evacuatione, cogitent. Nam tertia, aut quarta purgatione multum educi bilis, & feri, & pituitæ, quam vix quindecim diebus natura deiciat, dum sæpe & parum e ventre excernitur. Ac propterea, quod in dysenteria fit excretio parva & frequens, faciendum esse, ut contra sit rara excretio & magna. Idque medicamentum purgans rite institutum præstare. Nec est, quod hic cum doctissimo *Moorio* distingvendum existimemus, sitne alvi fluxus criticus, an sym-

E 2

pto-

p. m. 306



ptomaticus, cum utroque casu non supprimentenda sit fluxio, quamdiu eadem redundans humor, vimque naturæ inferens, cum utilitate ægri excernitur, & si segnius is exeat, morbusque interim urgeat & postulet, cum ratione adiuvanda sit eius excretio, ac procurandum præterea, ne ultra modum & cum iactura virium procedat. Neque vero hanc recto purgantium usu hic reformidabimus, quando magis credendum sit, sublata causa, se ipso firmiorem futurum ægrotantem. Nam, sicuti in *aphorismis* docet *Hippocrates*, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt: quodsi leviter ferunt ægri, quoties, quæ noxia sunt, expurgantur, nil metuendam esse patet iacturam virium, si in alvi fluxibus materia peccans medicamento educatur. Quo modo alvi fluxus medicamentis alvum moventibus haud raro feliciter cessare comperimus. Quamquam non ita omnibus alvi profluviiis occurrendum esse, per se quivis intelligit, qui causas illorum distingvere novit.

### XIIX.

**Q**Vare illud quidem hic observandum esse  
puta-



putamus, quod prudentissimi quique Medici, cum veteres, tum novi, non minus ratione, quam usu experientiaque ducti, sedulo inculcaverunt, non protinus ab initio mali adstringentibus supprimendam esse dysenteriam, ne ex inconsiderato & præcipiti illorum usu graviora, ut dictum est, mala eveniant, quæ quidem ab imprudentibus vi morbi tribui vulgo solent, cum huiusmodi adhibitis temere remediis debeant. Nec vero, quemadmodum multi faciunt, quasi eundem foccum & cothurnum omnibus aptantes, oportet eodem modo curare omnes in quibusque dysenterias, cum in aliis maior copia & multitudo, in aliis stimulus maior & impetus humorum, magnaque interdum inflammatio, nec raro tot concursio symptomatum, tantique occurrant cruciatus, ut facile eorum appareat vanitas, qui uni hic remedio confidunt. Quo loco in mentem venit illorum erroris, qui solius potu lactis recentis humores acres & temperari, & subduci, omnemque dysenteriam plane sanari posse, sibi aliisque persuadere student. Sæpe quidem lac, eiusque serum, & potum, anoque iniectum, in levioris principio mali, & ubi minor copia hu-



humorum magis mobilium, minusve impactorum affuit, aut ubi intestina immunditie sua purgata ante magnam partem fuerunt, magnum constat attulisse levamentum, aliquando etiam deiectiones dysentericas, diu fatigantes, non aliena arte quievissent, quam diuturno lactis usu. Quibus etiam casibus usu feri lactis, vel iusculi avenacei, vel aquæ plantaginis, cum oleo amygdalarum dulcium, vel olivarum, quosdam cito evasisse, recordamur. Neque ignotum est ex Hippocrate, dysentericis, epotis sero lactis & lacte, in quo candentes filices extincti, dolores & cruentas deiectiones moderatiores fieri, atque eundem Filio Erotali, VII. Epidem. circa initium libri, lac per os in vehementi dysenteria prospero successu dedisse. Sed & usu compertum est, solum lac curandæ perfectæ dysenteriae, & ubi insignis est cacochymiae vis, haud sufficere, & recte quidem adhibitum, multis omnino multum prodesse, sed & inconsulto usurpatum, non parum obesse posse, ut idem doctissimus Medicus *sect. V. aph. 64*, lac præbere vetat capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata, aut murmurantia, & biliosæ sunt deiectiones, atque copiosa sanguinis

r. p. m. 401.



nis facta est vacuatio. Huc pertinet, quod *Galenus l. 2. cap. 12. de med. simpl.* animadvertit, ubi de medicamentis, quæ vocantur ἐπιερασινὰ, loquitur : *Hæc cum in ventrem infunduntur subtus, ut in dysentericis, alias demulcent, alias irritant. Si valentiora sint humoribus acris, eorum humorum vim retundunt. Contra, si medicamenta contemperantia valentioribus facultatibus, aut multis pauca admista fuerint, una & ipsa corrumpuntur, aluntque cacochymiam. Itaque eos vacuare statim oportet, qui a mitigantibus & contemperantibus medicamentis irritantur, cum sint repleti multa, nec facile mobili corruptione.* Eadem est ratio remediorum, quæ quidem vocant, polychrestorum ex gummi Arabico, tragacantha, priapo cervi, ceti, & similibus, in quibus nimium spei se posuisse, nonnulli, credo, experiendo didicerunt. De usu vero lactis hic notatu dignum est, quod apud *Ballonium legitur lib. 2. Epid. & Ephem. Medicus narravit de quodam fluore dysenterico laborante. Post multa remedia, consilio Medicorum, ad usum lactis bubuli recens multum adactus est. Coagulatum in ventriculo.* *Incredibile dictu, quanta inde*  
*sympto-*



*symptomata, defectiones animi, & similia. Unde lac coagulatum in ventriculo, aut intestinis, instar veneni esse, Dioscoridem asseveravisse credunt. Tamen, cum necessitas ad usum lactis inclinaret, acutior Medicus consuluit, ut lac coqueretur, chalybearetur, deinde aqua iniiceretur in lac, dum coqueretur. Usus est, profuit valde. Et illud est de consilio Aetii, cap. de coctura lactis. Et admirabile id est, quomodo lac ita paratum conferat.*

## XIX.

**I**llud iam satis liquet, eos recta insistere via, qui mox primo mali insultu alvum semel, iterumque, ac sæpius, si res postulaverit, interposito debito temporis spatio, leniter subducunt, benignissimorum usu pharmacorum, ac potissimum rhei, vel potius radicis vomitivæ Ipecacuanhæ, quippe quæ, cum & intestina per alvum sine molestia extergat, & ventriculum subita blandaque vomitione expurget, ac diaphoresin instauret, hic ceteris remediis merito præfertur, atque exquisitissimum naturæ munus a *Gul. Pisone l. c.* & novum, idemque optimum antidysentericum iure habetur, de quo, cum brevitati hic studeamus, præ-

præ-



præter Pisonem, legi meretur illustris *Leibnuzii relatio ad incl. Soc. Leopold. Nat. Curios.* Neque credimus benignius in natura emeticum reperiri, si recte adhibeatur. Non possumus vero, quin extergendis in dysenteria ac eluendis intestinis acidulas quoque Egrenses commendemus, si cum iudicio iisdem utamur, quibus quidem alios sibi ab eo malo præcavisse, alios sanatos esse, novimus. In Italia celebres sunt aquæ Tetutii dictæ in Hetruria, & præsentia auxilio in dysenteria per superiora inferioraque adhibentur, ut videri potest apud *Cæsalpinum in Quæst. med. qu. 21, & lib. 2. de med. fac. cap. 10, ac Vidum Vidium lib. 9. de curat. membr. cap. 24*, quo loco etiam aliam aquam, quam vocant Balneoli, adversus idem alvi profluvium maximopere commendat. De aquis vero Tetutianis ita expertus loquitur *Fallopianus, de Therm. aq. atque metall. cap. 11. Cum essem Pisis, ibique grassaretur dysenteria, ut solet fere quarto quoque anno, (epidemiæ enim affectio est) audiivi, quod quidam medicus exhibebat in huiusmodi affectione aquas quasdam thermales Montiscatini, & inde ipse motus*

F

cæpi,

1717



cæpi, ut experirer exhibere aquas illas grandioribus natu. Cumque vidissem, quod profuerant, exhibui etiam puerulis duorum annorum ea quantitate, quam poterant accipere, neque enim tantum aquæ puerulis est exhibendum, quantum adultis. Ideo exhibebam illud, quod poteram, & quantum ipsi volebant, & conveniret, & aliqui accipiebant unicum cyathum, alii duos, alii tres. Quamvis enim aqua illa salsa sit, non excedit tamen salsedo, nec exquisite percipitur a puerulis, ut fit ab adultis, & quotquot aquam illam bibebant, omnes liberabantur a tali morbo. Hæc qui considerat, causam reperiet, quamobrem veteres & aquam falsam potandam dederint, & muriam ex inferioribus partibus infundendam præceperint, ut extat apud Celsum & Cæl. Aurelianus l. c. Neque vero clysmis mollientibus & temperantibus alvus sine commodo eluitur, si vel tardius progredientes, & hic illic hærentes putridæ, & acres radentesque fordes promovendæ, vel flatus educendi sunt. Præstans est Sylvianus, vel qui ex solius decoctione malvæ in aqua & lacte, & cum oleo olivarum

L. IV. C. xv. p. m.  
224.

L. IV. C. vi. morb.  
Chron. p. m. 227

Coll. diss. H. 147, 40



varum conficitur. Nam vana hic ars est, quæ multa congerit. Sed cavendum tamen est ab assiduo clysmatum usu, ne temere vel stimulentur intestina, vel relaxatio quædam & mollitudo ipsis adferatur, & tonus eorum nimium infirmetur, fluxusque augeatur.

## XX.

**Q**uod reliquum est, id fere opiata expedi-ent, si quidem non tam correctioni opii, quæ perperam hodie miris vexari modis solet, quam recto eius usui studeamus. Nam recta opii correctio in recto usu consistit. Hoc autem magis id in curanda dysenteria laudandum, quo plures absolvere indicationes potest, cum vi una rarefaciente & diaphoresin promoveat, per eamque affluentem divertat materiam ac stimulum, & motus irrequietos, atque cruciatu & tormina intestinorum sedet, & somnum, qui merito optimum dysentericis remedium habetur, procuret. Quas tantas unius reme-dii vires & operationes videntes veteres pari-ter novique Medici, vix ullum sine opio reme-dium



dium in curatione dysenteriae adhibuerunt, ut patet ex theriaca Androm. & caelesti, Mithridatio, philonio Rom. phil. Pers. diascordio Fracast. Sylv. pil. de cynoglossa, de styrace, & extractis opii, laudanisqve variis, solidis & liquidis, quae nunc sola, modo cum aliis iuncta adhiberi, ipsisqve purgantibus & clysmis addi solent. His itaque sic uti conveniet, ut ne supprimatur temere dysenteria, nec vires opprimantur, sed ut modus ponatur fluxioni, & optata corpori quies rectaque transpiratio concilietur. Cui quidem fini remediis diaphoreticis ac temperantibus aliis, ex bolis & terris, ac partibus duris animantium, itemqve essentiis bezoardicis, alexipharmacis & camphoratis addi, & gummosis quoque ac glutinosis, & adstringentibus demum variis, prout necessitas suaerit, misceri poterunt, sed ita tamen, ne excessus in copia fiat, & quo pluribus dosibus secure & tuto impetremus, quod una cum periculo tentatur. Eiusdem ope auxilii temperandi sunt vehementiores motus, sicubi naturae negotium faceffant, & metus sit ullo vel levissimo evacuantium stimulo

CRU-



cruciatus intestinorum ingeminari. Nam attendendi sunt sollicitè motus omnes exagitatae & conflictantis naturæ, tam salutare, quam infestè, cavendumque sedulo, ne quicquam temere, nec nisi probe subducta ratione agatur, nihilque negligatur: id quod quidem præsens potius & accuratum medentis iudicium, quam præceptiones librorum & verborum ubertatem, desiderat.

## XXI.

**N**Ec vero hic cetera, quæ minoris sunt momenti, & quæ vel ad exteriora remedia, inter quæ *εὐπόρισον* illud Cratonianum, Mithridatium, regioni stomachali atque abdomini accommodandum, præ multis aliis placet, vel ad diætam pertinent, plenius pertractanda sunt, quæ quippe sua sponte sequuntur ex observatione scoporum præcipuorum, quos feliciter in nupera dysenteria successisse, testabuntur, qui hic medicinam faciunt. De venæ sectione saltem addendum est, eam neque omni, neque nulli dysenterico convenire, nec

F 3

facile



facile admittendam esse, nisi statim initio, urgente inflammatione, & copia ac impetu sanguinis, & viribus satis valentibus, quæ alioqui perseverante assidue fluore, & vigiliis, inediaque, ita penitus prosternuntur, ut malum perferre minus possint.



Coll. obs. A. 147, 40